

vitiose positum sit **אלפים** ח', cui lubenter suffragamur. Licet enim in Talmude Babylonico, Venetiis Anno ר"פ, i. e. 280. h. e. Anno Chr. 1520. excuso expressis verbis legatur **אלפים** שמונה, 8000, attamen in Cothnoth Or Amstelodami Anno 444. h. e. Chr. 1648. edito tract. Kiddusch fol. 52. b. ita exprimitur, **אלפים** ה' & si in MSS. Cod. ita scriptum fuit, erroris occasio patet. Posito ergo, erratum esse in numero, quod vult Buxtorf. & concessio, Talmudistas numerasse 5888. versus in Pentateucho, differentia tamen ad 643. ascendit, quia recentiores Masorethæ tantum 5245. versus in Pentateucho, numerant. Taceo, quod Codices non consentiant in designando versuum numero, quos Pentateuchus completitur. In Bibliis Felic. Pratenfis numerantur 5945. versus, Elias Levita ponit 5842. Nihil hic definimus, sed tantum ostendimus, quam incerti sint Masoretharum numeri. Si porro nobiscum pensitemus, quæ Talmudistæ de numero versuum in Psalmis referunt, nempe in iis octo versus plures reperiri, quam in Pentateucho, nova discrepantia subnascitur. Secundum Masoram recentiore fini Psalmorum adjectam in Bibl. Buxtorf. numerus versuum est.

*Duo mille, quin-* **אלפים וחמש מאות**  
*genti & viginti septem* **ושבעה ועשרים א"א כזך:**  
*versus 2527.*

Si hunc numerum componas cum altero Talmudistarum emendato. qui est 5896. differentia erit 3369. Nisi versum Psalmi quatuor aut quinque verbis constare dixeris, vix tantus numerus emerget. Id quod iis favet, qui versus Hebræorum brevibus tmematis constituisse contendunt, quod nobis in Disputat. de *Libro Recti* visum est. Plures, qui Masoræ nostræ errores cognoscere cupit, adeat ejus defensorum Buxtorf. qui in castigationibus Masoræ p. m. 77. seqq. plurimos annotavit.

#### §. VIII.

- 4) Evidenter demonstrari potest, recentiores Masorethas